



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hermanni Hamelmanni, S. S. Theol. Licent. & dum viveret
Superint. Oldenburgici, Opera Genealogico-Historica, De
Westphalia & Saxonia Inferiori**

Hamelmann, Hermann

Lemgoviae, 1711

VD18 11397225

3. Delineatio Urbium & oppidorum Westfaliae, ubi in præfatione de Idolo
Jrmensuel argitur.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56092](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56092)

SIMPLEX ET BREVIS
**DELINEATIO UR-
BIUM ET OPPIDORUM
WESTPHALIÆ.**

Authore

HERMANNO HAMELMANNO,
Licentiato Theologo.

Unde alii occasionem accipere poterunt latius de istis
& singulis Westphaliæ locis inquirendis, inve-
stigandis & ad vivum usque describendis.

Ubi in Prefatione

**De VETERI SAXONUM IDOLO
IRMENSUEL**

differtur.

Rogo Lectorem, ut mihi ignoscat, si quas urbes vel oppida ex igno-
rantia præterirem, vel si singulorum dona, naturam & officia lo-
corum non tam diligenter describerem, vel alicubi errarem:
cum omnia perspicere & præsens intueri non potuissem. Et vo-
luisse sat est, ut inquit ille.

Illu-

Illustrissimo Cordatissimoque Principi, Potentia, Regionibus amplissimis & Heroicis virtutibus florentissimo,

Domino, Dno. WILHELMO,
Duci Juliae, Cliviae & Bergae, Comiti Markae & Ravensborgi, Domino in Ravenstein/ &c. Suo & omnium studioforum piorumque Patrono ac Principi clementissimo, semper multumque colendo,

HERMANNUS HAMELMANNUS, gratiam & pacem in Christo Jesu reverenter & humiliter precatur.

SUMMARIA.

- | | |
|---|--|
| <p>1. Data Auctori occasio differendi de veteri Saxonum idolo Irmensuel adducitur.</p> <p>2. Georgius Spalatinus de pradicatione.</p> <p>3. Pigritia Monachorum in conservatione antiquorum monumentorum a Corvino notatur.</p> <p>4. Rolevingius existimavit statuam Irmensuel fuisse in Arnsberg/ quod castrum olim sit dictum Eresberg.</p> <p>5. Krantii sententia de idolo Irmensuel & castro Eresberg exhibetur.</p> <p>6. Inscriptio simulacri in Corbeja reperti exhibetur.</p> <p>7. Gallici scriptores perstringuntur.</p> <p>8. Irmensuel est Corvino quasi sedens mans</p> | <p><i>i. e. Commune profugium.</i></p> <p>9. Effigies vel descriptio Irmensuel presentatur.</p> <p>10. Aliis Irmensuel est idem ac Harmensuel / vel propugnaculum Harminii.</p> <p>11. Nonnulli in urbe Coloniae summi Berge / hodie Stadtberg dicta, sedem idoli hujus constituunt.</p> <p>12. Auctor credit in urbe Coloniae Meseberga, quod quondam Meriberga vel Eresberga nominata fuerit, hoc Idolum olim cultum fuisse.</p> <p>13. Idolum hoc extitisse in Westphalia probatur ex Annalibus cujusdam Benedictini.</p> <p>14. Historicus Widikindus perstringitur a Gobelino.</p> <p>15. <i>Causa dedicationis afferuntur,</i></p> |
|---|--|

Cum Illustrissimus Hessorum Landgravius, Philippus Senior, mitteret ad Reverendissimum Monasteriensium Principem Franciscum Waldechianum, jam expugnata urbe Monasteriensi, excellentis doctri-

doctrinæ hominem *Antonium Corvinum*, ut cum rege illo Anabaptistico & impio Monasteriensium tum capto, de religionis negotio, & nova illa hominum fanaticorum opinione ex scripturis conferret: scripsit vir magnæ eruditionis *Georgius Spalatinus* (qui in tuâ, Cels. 2. Illustrissimi & laudatissime Princeps, affinis Domine Joannis Frederici sanctiss. Electoris aula magnus erat, ejusque Patruo Frederico & patri Joanni, Principibus Saxonæ & Electoribus gratus) ad Antonium Corvinum, tunc in Westphalia degentem, atque ab eo petiit, ut ex antiquis Westphaliæ monumentis erueret, *quid, & quale fuisset idolon Saxonum in Westphalia, dictum Irmensuel, & ubinam hoc esset honoratum?* Ad quæ respondit *Corvinus*, sibi hoc diligentius inquirere propter negotia non licere, deinde nihil quoque in collegiorum & monasteriorum per Westphaliâ sitorum Bibliothecis reperiri, postquam ubiq; ventres pigri reperirentur, qui nihil de conservatione antiquorum monumentorum cogitassent unquam. Ut interim ego aliquid de ea re coram T. Cels. dicam: *Wernerus Rolevingius*, Carthusianus Colonienfis, scripsit tempore Concil. Basiliensis de Westphalia laude, ubi sic refert in libro suo, ex *Johannis de Essendia* & *Hermannii de Hervordia* libris, ut ait:

In Urnsberg fuisse statuam Irmensuel / quasi Hermetis statuam, tradunt: fuit autem illa statua in arce Mersberg / id est, castrum Martis, cui mutato nomine *Carolus* dicitur indidisse nomen Urnsberg / ab aquila, postquam ille Imperator pro armis in imaginibus tanquam insigne circumtulisset aquilam, quia prius castrum illud demolitus erat tanquam potissimum Saxonum præsidium, & hoc tanquam in illius locum reposuerat. Sunt tamen, quid dicunt istud castrum olim dictum Eresberg / & E mutatum in A literamque N sonus gratia interpositam. Fuerant autem circa istud castrum *quatuor statuae sculpta, Martis, Mercurii, Herculis & Apollinis: à Marte tamen, quasi præcipuo patrono, nomen sortitum erat castrum.* Hæc ille. *Albertus* autem *Krantius* sic in Saxonia sua de eodem idolo libro 2. cap. 9. ante annos 50. scripsit: variam quidem scribentium esse opinionem de isto idolo Irmensuel / suam vero sententiam de eo esse hanc: Progressus cum exercitu *Carolus* venit ad *montem Martis*, ibique phanum & idolum reperit gentium, quod Irmensuel appellavere, illudque invertit, Eresberg dictus est mons, in quo Mersberg: nam & in eodem Irmensuel à Saxonibus colebatur. Omnium rationem nominum conantur veteres reddere, probabiliora attingemus. Eresberg ab Hera

Junone dictum putant, aut ab honore deorum isto in loco, *Eresberg* quod ibi honorentur dii: Ibi etenim *Hera Juno*, ibi *Hermes Mercurius*, ibi *Mars Gradivus* colebantur, sed obtinuit Martis honor, ut nunc *Mersberg* vocetur. Hæc ille.

6. Repertum est, ut audio, in *Corbeja simulachrum* cum hac inscriptione: Dux ego gentis Saxonum victoriam certam polliceor venerantibus, &c. Et hoc simulachrum fuisse *Jrmensuel* putant quidam.
7. Gallici scriptores omnia turbarunt ut Germanicæ linguæ imperiti.
8. *Jrmensuel* interpretantur nonnulli, inter quos est *Corvinus*, statuam publicam, *Jdermansuel* / quasi commune profugium & asyllum omnium, & *Martem* comunem omnibus, quia in prælio diu vagatur is
9. incertus, & diu dubius, quò ponat victoriam. Itaque armati toto pectore effigies erat, cujus in dextera signum militare, nostri vexillum vocant, præferens rosam, cujus breve momentum & facilis interitus ac ortus, ita & eventus bellorum. In sinistra libram expandit, dubiam pugnantium sortem: facile huc atque illuc inclinantem, &c. Hæc etiam
10. *Krantius* in citato loco habet. Sunt nonnulli, qui *Jrmensuel* quædam *Jarmensuel* vocant, ut propugnaculum *Harminii* diceretur. Dicunt alii fuisse istud idolon in *Mersberg* urbe ad *Salam* in *Thuringia*, ubi hodie est *Episcopatus*; sed hoc non est verum. Gallici scriptores, teste *Krantio* libro 2. cap. 11. *Saxoniæ*, dicunt non procul à *Luppia* flumine fuisse locum istius idoli: Itaque alii putant in oppido ad viciniam *Comitatus Waldechiani*, in tractu *Colonienfi* inter *Paderbornam* & *Corbachium* sito, & dicto *zum Berge* / quasi detracta prophana voce *Mers* /
12. hodie dicatur *Stadt Berge* / fuisse hoc idolon. Sed ego meo iudicio credo rectius intelligi de oppido in tractu *Colonienfi* sito, dictoque *Messeberga*, quasi *Mersberga*, quod oppidum etiamnum hodie *Eresbergam* vocant, & de loco veteri Saxonum sic dicto aliquoties in analibus legitur. Et quod Idolon istud non fuerit in *Saxonia* (quanquam hoc quidam ex *Krantii* verbis, ultra *Visurgim* legitur progressus *Carolus* usque ad *Montem Martis*, contendant) sed in *Westphalia*, testantur annales *Benedictini* cujusdam, quas restituit *Hermannus Comes de Nevenar & Gobelinus*, docentes: *Carolus* in *Eresburg* destruxisse Idolum *Jrmensuel* / & deinde usque ad flumen *Wesera* accessisse. *Gobelinus*
14. reprehendit historicum quendam, nomine *Widekindum*, *Monachum Corbiensis ordinis*, quod ille loci nomen ex *Eresberg* mutaverit in *Mersberg* / & dixerit ideo *Jrmensuel* dici, quasi *Hermes Suel* / quia *Hermes*

mes dicatur apud Græcos Mars: atque deinde tradit Jrmensuel à Mercurio dici, quem ait recte apud Græcos Hermes dici, & quia Saxones putat à Græcis exortos, recte etiam Mercurii idolon græco nomine Herminsen appellari, quod ibi Mercurius colatur, quem olim sub Germanico nomine Guden (unde Gudenstag) quem nos diem Mercurii appellamus) Longobardi coluerant: Vulgo autem Eresberg dictum locum ab honore & veneratione, &c. Additam autem M litteram postea, vel per turpem consuetudinem hominum, qui forte dixerunt Mersberg contracte pro sum Eresberg / vel turpis sonus vitandi causa, ne de culis, hoc est, sedibus naturæ intelligatur, &c. Hæc Gobelinus.

Hæc volui coram T. Celf. in hac Epistola referre, ut eadem videat optime Princeps, quam diligenter cuperem antiquitatem Patriæ nostræ inquirere. Quantum vero ex officio professionis meæ (quia forsitan quispiam posset mihi objicere, me hoc pacto spartam acceptam non adornare) in Theologia ex antiquis veteris Ecclesiæ testimoniis (quæ ex sinuosis Patrum voluminibus, tanquam ex pelago, jam per annos 12. erui) profecerim, testabuntur forsitan, si non alia nostra opuscula, saltem illud, quod de Justificatione nuper T. Celf. Doctor Wigandus inscripsit. Cum autem diu me pudor & verecundia, exilitasque meæ personæ Tuæque Illustriss. Celf. & potentia florentiss. amplitudo contra, sæpius detererent & impedirent, obstaculoque mihi essent, quò minus, (tametsi apprime volens, & hoc aliquoties tentans) vel superiori anno orationem de quibusdam Westphalia viris doctrina illustribus, qui latinam linguam per Germaniam restituerunt, vel etiam priores tractatus, quos de antiqua Westphalia & de populis, qui olim in Westphalia habitaverunt, nunc publicabam, T. Celf. inscriberem: enjam tandem, postquam T. Celf. nomine pietatis, doctrinæ, clementiæ, justitiæ, misericordiæ, temperantiæ, modestiæ & reliquarum virtutum prædicari quam amplissime, & quasi omnium ore & suffragio audiam, & ab omnibus tua inculpatissima vita & sanctissima innocentia ac integritas ubique commendetur: vicit timorem & pudorem nostrum talis ac celebris de Tua Illustriss. Celf. fama, atque encomia quæ plenis buccis & copiosis de T. Celf. laudibus hinc inde sparguntur, celeberrima, ad hanc audaciam pellexerunt pertraxeruntque me, ut has chartas, quibus tantum delineavi Patriæ nostræ Westphalicæ urbes & oppida quædam, (quia nescio an omnia oppida his chartis complexus sim, vel præterierim ne quædam) pro

mea ruditate, T. Celf. offerre non erubuerim. Hæc tam exigua, exilia & prope nulla dona oro ut T. Celf. boni consulat: Nam pleraque, easque potiores urbes in Westphalia, tua Excelentia jure hæreditario possidet, alias sibi ratione gubernationis, quæ T. Celf. per totam Westphalicam Provinciam ab Imperio demandata est, quoque subiectas habet. Quare per Christum oro, ut hoc meum temerarium factum boni consulere digneris, & quanquam sit indignum munusculum T. Celf. tamen non dubito, quin pro sua singulari Clementia, quod bono animo à me factum est, sit in meliorem partem acceptura.

Quod si mihi V. Celf. cordatissime Princeps, & simul reliqui Heroes ac Domini Westphaliæ Civitatumque rectores, ex suis Archivis ea adhuc communicarent, quæ sciri & cognosci liceret, possem in simili & forte majori scriptitatione V. Celf. reverenter, meritò ac iustis de causis gratificari, nisi tamen me alii anteverterent. Interim omnium maxime cuperem V. Celf. in rebus sacris aliquod officium gratum præstare, nunc præsertim, cum audiam Tuam Pietatem ferio ad Evangelii negotium promovendum, animum adjecisse, & omnes pios Evangelii ministros Clementer suscipere, promovere & fovere: Et quidem ego pro T. Celf. non semel ad lachrymas usque, meos gemitus effudi ad Deum, quo T. Celf. maneret in numero piorum Principum, & ad exemplum Davidis, Josaphat, Constantini & Theodosii, tuique affinis Electoris Johannis Frederici, &c. omnia ad gloriam Dei facere pergeret, & in die illo ipsis conjungeretur per Christum. Quo etiam nomine T. Celf. piissime Dux, appello & oro eandem per vulnera Christi, ne credat Jesuitarum censuræ V. Celf. dedicata, quia in ea aperte T. Celf. à lætione scripturæ in primo articulo & à cognitione religionis in duodecimo articulo contra totius antiquitatis testimonia remonent, atque in reliquis articulis vim scripturæ & Patribus faciunt, non verentes, aperte coram T. Celf. mentiri, & falsè Patres citare, ut à nobis abunde alibi declaratum est, & lætius semper ostendere parati sumus. Tuam Celf. servet nostræ Westphaliæ diu incolumem Christus
Jesús! Amen.

DE WESTPHALIAE CIVITATIBUS ET
 OPPIDIS BREVIS COMMENTARIOLUS,

SUMMARI A.

1. Qualibet Regio & Urbs suas Dei beneficio singulares habet dotes, qua merito depradicantur.
2. Causas instituti sui Auctor exhibet.
3. Westphalia hodie altis & latioribus quam olim terminis concluditur.
4. Vetus Westphalia definitio sstitur.
5. Qua adaugetur è Rolevingio.
6. Aliter adhuc fines Westphalia describuntur.
7. Westphalia in Bergensi ducatu & Surlandia existit nemorosa, ibidemque & in Comitatu Markico & Waldeccensi abundat metallis, alibi glandibus: circa Snsatum & in Comitatu Lippiaco est perquam fertilis, atque in Monasteriensi, Oldenburgensi & Osnabrugensi regione existit pasuosa.
8. Westphali dilaudantur ut officiosi, robusti, elegantes & laborum patientes.
9. Majores nostri collocarunt castra in montibus, unde etiam illa sunt denominata.
10. Arces Delmenhorst / Kloppenberg / Kettberg / Düsseldorf / Sparenberg / Detmold / Deipholt / Pyrmont / Tecklenburg & Lingen celebrantur à sumtuosis munitionibus.
11. Munita Civitates Westphalorum enarrantur.
12. Montensis Ducatus Civitates exponuntur.
13. Düsseldorfium decantatur ab Arce, sede Ducali, munitionibus & oblectatione ex Rheno;
14. Duisberga vero à Patriciis & nova Academia.
15. Atque Dinxtlake à bono panno.
16. Tuitium & Möllm fuere quondam propugnacula.
17. Lenne / Hoifinkhave / Erversfeld & Wippervord ex mercatura, lana & pecudibus victum quarunt.
18. Sieborg inclarescit Abbatia & pulchris sctilibus, sicut Söllinga gladiis & cultris.
19. Hattinga à plumbo, carbonibus,
20. Sicut Rattinga à forpicibus & lebetibus ferreis, nec non Schwelm / Bienborg / Docken & Reissel à variis opificiis laudem gerunt.
21. Ex Clivensi Ducatu quedam urbes ad Westphaliam spectant.
22. Wesalia opibus, mercatura & navigio in Rheno est clara urbs.
23. Rees aqua ac Embrica dives, alit Collegium.
24. Geldriensis Ducatus & Zutphaniensis Comitatus urbes cis Rhenum referuntur.
25. Zutphania celebratur ab elegantia & opibus, uti Dossberg & Brunchhorst ab agricultura.
- 13
26. Dor-

26. *Dortinkemia petroselinis radicibus, Borchelo pascuis, Sevener campis, Lockghum oleribus & rapis, denique Grolla & Brevort fufis abundant.*

27. *Marcani Comitatus urbes perhibentur.*

28. *Susatam à magnitudine, divitiis, multis pagis, subditis, optimis agris & cerevisia decantatur.*

29. *Urbis Hammolaudes cecinit Murrnelius.*

30. *Unna / Kamen / Essen / Lünen / Schwerte / Iserlohn / Altena / Lünschede & Rade unde victum quarant?*

31. *Lippia urbs equo jure à possessore Comitatus Marcani & Regente Comite Lippiaco possidetur.*

32. *Brekerfeld & Hörde oppida adducuntur: & Georgius Schelle celebratur.*

33. *Coloniensis ditionis urbes in Westphalia describuntur ha: Dorsternium, Recklinckhusen / Altdendorp / Plettenberg / Balve / Werle / Urnsberg / Affenum, Aticndoria, Belkenum, Olpenium, Drolshagen / Bilsfenium, Brilenia, Smallenburg / Fretzenburg / Hertzbergum, Hallenbergia, Caldenhor / Ustenberg / Winttersberg / Medebach / Volckmar / Berga, Mesebergia, (olim Eresbergia dicta, sedes Idoli Irmensuel) Mesechede, Ruden & Wasten.*

34. *Imperialis civitas Tremonia trahit laudem à Territorio, Comitatus titulo gaudente, regiminis formâ, generis, operariis & Scholâ.*

35. *Comitatus Waldeckiensis urbes & oppida enarrantur ha: Corbachium, Wildungen / Mengerinckhausen / Waldeckium, Landavium, Raden / Frienhagen & Sassenhausen.*

36. *Paderbornensis ditionis urbes memorantur ha: Paderborn / Warburg / Brakel / Niehem / Steinheim / Dringenberg / Driburg / Peckelsen / Borrenreick / Borekhold / Lichtenau / Kleinenberg / Lippspringe / Salzkotten / Luida / Büren / Heerstelle / Beverungen / Borden / Bredenborn &c.*

37. *Huxaria urbs laudatur à vicina & multis monumentis membranis gaudente Abbacia Corbejensi, fecunditate agrorum & brassica capitata copia.*

38. *Lippiaci Comitatus urbes existunt, (a) Lippia.*

39. (b) *Lemgovia, cujus varia originatio adducitur, illaque juxta Auctorem laudem reportat à Scholâ, aedificiis, aqua ductibus, munitione, viris celebribus, varia mercatura, bono panno, Typographia, fertilibus agris & pascuis.*

40. (y) *Horna, qua commendatur à jucundis campis, agris & vicina rupe picarum.*

41. (s) *Blombergia verò ab agris, (e) Salzkuffeln à Sale, (n) Detmoldia à sede Regentis Comitatus Lippiae. Et praeterea Schwalenberg / Warrens troupe / Alverdisen / Bösingckfeld / ut Lippiaca oppida commemorantur.*

42. *Ravensburgici Comitatus duae sunt*

- sunt urbes, Hervord & Bilsfeld / ex
renni pannolneo quastum facientes.
43. Reibergici Comitatus unum est
oppidum Reiberg / ex pascuis se susten-
tans.
44. Eo nomine commendatur etiam
Arx & oppidum Gemma.
45. Mindensis ditionis sunt (a)
urbs Minda, munitionibus, navigiis,
cerevisia & Ecclesia cathedrali clara;
& (b) Lübbecke / quod laudem meretur
a multis nobilibus inhabitatoribus.
46. Rinthelm unde victum quarat?
47. Deipholdensis Comitatus oppi-
da perhibentur, Deipholt / Löwen-
förde / Zuntühle & Drebbel.
48. Oldenburgicus Comitatus no-
men gerit ab urbe Oldenburg / qua
mercaturis & navigio inclarescit.
49. Osnaburgensis ditionis sunt se-
quentes urbes: Osnaburgum, quod
multum lucri ex lineo & panno facit,
Widenbrugum, Quackenbrugum,
Mella / Jbarga / Furstenaue & Boren.
50. Teck-
claudit Auctor.
50. à Tecklenburgico Comite posside-
tur oppidum Tecklenburg / & Rheda.
51. Lingen describitur.
52. Benthemensis Comitatus oppida
memorantur, Benthem / Northoren /
Niehus / Niekercken / Scuttorp.
53. Steuvordia laudem ducit a sede
Commendatoris Provincialis per
Westphaliam.
54. Monasteriensis ditionis urbes
& oppida longa serie enarrantur, nem-
pe Urbs Monasterium, cujus laudes
carmine decantavit Marmelins, Kos-
feldum, Boickholdum, Borkenium,
Loen / Dülmen / Allen / Beckem / Wæ-
rendorp / Telgetum, Guerdenum,
Horstmar / Bevergerne / Uhus / Klop-
penburg / Schapen / Mettelen / Wol-
becke / Halteren / Scherenbecken / Keis-
na / Meppen / Rhenen / Hasalunda /
Behta & Wildeshusen.
55. Sincera obrestatione juxta &
petitione hanc suam delineationem
urbium & oppidorum Westphaliae

Certo mihi persuasum habeo, unius Dei beneficio fieri, ut singulis
regionibus sua conferantur dona, utque istis ista, aliis alia vel distri-
buit vel denoget benignus Deus. Non enim omnis fert omnia tellus:
Dant Chalybes ferrum mittunt sua thura Sabæi, ut inquit ille. Sic
quælibet Regio & urbs, suas habet singulares dotes, quas ut agnoscamus
& pro his grati simus, nos equidem, qui Christiani sumus, probe
debet. Ipse Moyse ut Israhelem præ aliis exaltatum dicit, Jacob funi-
culus hereditatis ejus, &c. ita & de terra Chanaam promissa Isra-
helitis multa habentur in ipsius & Josuæ libris elogia. Et David Psalm
105. Dabo tibi (inquit Dominus) terram Chanaam, funiculum hæ-
reditatis tuæ, illamque terram mox sequenti Psalmo vocat desiderabi-
lem;

lem; & recte, quia lacte, lana, vino, oleo, frugibus & melle abundabat.

Adde quod *Paulus* locos in quibus & natus & simul educatus fuit, non sine singulari encomio celebraverit. Sic enim Actorum vigesimo quinto legitur: Sum *Tarsensis*, non obscuræ Cilicum civitatis civis, ceterum educatus in hac (Hierosolymorum) urbe ad pedes Gamalichis: fuitque in sua gente ab initio Hierosolymis Actorum 26. Pharisei filius, Actorum 23. & ipse magno Zelo Phariseus Philip. 3. Galat. 1.

Taceo, quomodo celebretur *Bethlehem* locus nativitatis Christi in divinis literis, &c. Quomodo pradicetur *Sion* & *Hierusalem* in Psalmis & Prophetis, quid opus est huc referre? Quare Christiani & grati animi est, nos etiam nostram Patriam ejusque urbes, & singulis urbibus data beneficia, quæ nobis innotescunt, intueri & celebrare. Itaque ego, ut aliis majorem occasionem de hac re latius cogitandi darem, & junioribus, qui adhuc nec curis publicis nec domesticis gravantur, autor essem, singula per *Westphalam* diligentius investigandi, eosque excitarem, quo major ipsis, dona *Westphaliæ* ac locos naturamque cum singulis proprietatibus describendi causa præberetur, hanc suscepi operam: Quam oro ut omnes *Westphali* boni consulant, & si alicubi erro, id non malitiæ sed ignorantia ascribant. Quæ enim partim ex quotidiana experientia & in spectione, partim ex relatione aliorum habui, congesti mediocri fide, & illa in gratiam patriæ in medium propono.

3. *Westphalia* ut hodie in Imperii Comitibus censetur, nunc non proprie sub istis concluditur terminis, quos huic provincia majores nostri posuerunt. Nam hodie extenditur ultra austriacam definitionem: Verum hoc inde fieri credo, quod Illustrissimus Dux *Juliacus*, *Clivensis* & *Bergensis*, &c. *D. Guilhelmus*, sit hujus Provincie Præfectus & gubernator. Itaque nunc in Imperio ad illam refertur *Juliacensis* terra & *Clivensis*, quæ ultra *Rhenum* sita, alio referuntur. Nam ipsa *Westphalia* sic est olim divisa & definita: *Westphalia* est *Germania inferioris* provincia, quæ nobilissimis duobus fluminibus cingitur, scilicet *Wesera* & *Rheno*, est que terra multum nemorosa, pascuosa, plus alendis gregibus quam ferendis frugibus apta, multis fontibus ac rivulis est irrigua, *Emesa* (alias *Amasi*) *Lippia* (alias *Lupia*) Ruraque, &c. fontes habet salis fœcundos & montes fertiles: metallis abundat, item fructibus, glandibus, nucibus atque pomis: tum quoque feris, porcis, pecudibus & jumentis referta: *Populus* communiter elegantis statura & procera est, venustaque forma, fortis

corpore & audax mente: Militiam habet copiosam ac mirum in modum animosam, promptamque ad arma & mox paratam. Civitates habet fortes & munitas, castra fortissima, oppidaque tam in montibus quam in planis, &c.

Hanc habet definitionem *Rolevingius* in libro, quem ante annos 80. scripsit de laude *Westphaliæ*, illamque ait se recitare ex quodam libro de proprietatibus rerum, interim ille quasi per correctionem addit ad istam definitionem hæc: Sunt tamen loci in *Westphalia* satis frugiferi: Vergitque ad *Hassiæ* deinde ad *Westervaldiam Westphaliæ*, hinc ad *Ducatum Montensem* super *Rhenum* situm, deinde ad *Ducatus Clivenses & Geldrienses* se mutuo complectentes; hinc ad *Twentam & Drentam Phrisiamque*, ac demum ad *Saxoniam* iterum pertingit. Hæc *Rolevingius* in prædicto libro, quem restituit *Ortwinus Gravius*, Anno 14. *Coloniæ*. Alii sic definiunt *Westphaliæ*:

Occidentale *Westphaliæ* latus est *Rhenus*, à *Colonia Swollam* vel *Daventriam* usque, Orientale latus est flumen *Visurgus*, ab urbe *Brema* in *Hassiam* usque: Boreale latus *Phrisia*, Meridionale *Hassia*, &c. Et quantum ad explicationem attinet hujus definitionis, est verum quod in *Bergensi Ducatu* & per totam *Surlandiam* sit nemorosa, ubi etiam multi sunt fontes, *Metallis* in tractu *Coloniensi & Comitatu Markico* abundat, ut etiam pro parte in *Bergensi Ducatu*: præcipue vero in *Comitatu Waldechiano*: fructus diversarum arborum per totam regionem habet varios: *Glandibus* multis, quibus abundat, saginantur porci, unde perna fumo exsiccatæ suppeditantur exteris, quæ in multis locis gratæ sunt: Quantum ad fertilitatem attinet, circa *Susatam*, *Hammonem*, *Camam* in *Comitatu Markico*, deinde in ditione *Paderbornensi*, ac *Comitatu Lippiensi*, terra est fertilis: Pascuosa est imprimis in ditione *Monasteriensi*, *Comitatu Reibergico*, *Oldenburgico*, *Stenvordiensique*, & deinde per ditionem *Osnaburgensem*.

Officiosos & interim robustos ac elegantes homines profert, verum qui laborum patientes & ad omne genus molestiarum devorandum & subeundum parati sunt. Hinc est, quod tum ad militiam, tum ad varia pericula in mari terraque subeunda se paratos accingant, &c. Olim castra majores in montibus collocarunt. Hinc sunt castra plerumque à montibus nomen consecuta, *Issenberg* / *Herzberg* / *Navensberg* / *Eparenberg* / *Walckenberg* / *Sterneberg* / *Swalenberg* / *Dringenberg* / & si quæ sunt aliæ arces ita in montibus collocatæ, quarum usus in quibusdam locis interit. Carebant olim majores bombardis, itaque in montibus collocabant

- bant praesidium. Sed nunc in plano loco munitionem parant Heroes. Et
10. castra in Westphalia hoc tempore fortiora sunt, quae natura muniuntur, Delmenhorst/ Kloppenberg/ Kettberg/ & aliae: Arces quaedam interim sunt sumptibus Heroum ita munitae, ut recte dicatur in ista definitione, munitionem castrorum esse fortem. Tales sunt Delmenhorst/ & reliquae arces in Oldenburgico celebri Comitatu, item Dusseldorpii arx, Sparenberga, Ditmolthia, Deipholtia, Pirmuntana, Tecklenburga, Linga & aliae, quas ego forte non vidi.
11. Quod ad civitates attinet, sunt admodum pleraque munitae, ut Monasterium, Dusseldorpium, Wesalium, Oldenburgum, Osnaburgam, Mindam, Hervordia, item ex parvis oppidis, Widenbruggum & Cosveldium, &c. Quanquam utrumque posset urbibus adnumerari.
12. Ducatus Montensis Civitates, urbes & oppida sunt haec:
13. Dusseldorpium urbs arce & sede splendidissima Principis & Ducis Bergensis clara, munitaque est, & Schola insignis, multum habet oblectationis ex praetereunte Rheno; forsitan nomen habet à Dusterdorp.
14. Dusberga multos habet patricos & nova Academia inclarescit, ubi etiam interdum Comitia sunt celebrata.
15. Dinxlake, à Laken/ à bono panno nomen habet, qui ibi paratur.
16. Tuitium, vel à Tuisconibus, vel à tuendo dicitur, & fuit olim propugnaculum; habetque sua commoda ex Rheno, & Abbatia est clara. Idem de Molsin fere dici potest, ubi propugnaculum Ducum de Berga fuit olim ad Rhenum.
17. Kennep oppidum nuper exustum est, alioqui ibi ex mercatura & lana ac pecudibus victum quaerunt; idem potest dici de vicino oppido Huisfinchhave. Utrumque à germanis nomen habet; &c.
- Ererveldum, ein Erf-Feld/ oppidum ex filis quam nitidissime conficiendis lucrum quaerit atque ex marsupiiis faciendis.
- Wippervordum, ein Fort über der Wipper/ ex hospitii & aliquot emporiis, pannoque faciendo victum quaerit.
18. Siborg oppidum est clara ex Abbatia & monte Bilberg/ & imprimis ex pulchris illis ollis ac calicibus, qui ibidem parantur, Siborgische Pötte.
- Sollinga gladiis & cultris faciendis se sustentat aliisque negotiis &c.
19. Hattinga plumbo & carbonibus lapideis aliisque rebus exercet mercaturam.

Rattin a faciendo forpices & lebetes vel *cucumas ferreas* (Pannem) 20.
& similibus sibi de victu prospicit.

Sunt quoque varia opificia in pago *Swelmen* / item in oppidulis *Dienborg* / *Bokem* / *Reiffel*.

Ex *Clivensi Ducatu* pertinent urbes ad *Westphalam*, *Wesalia* clara 21.
opibus, dignitate, ædificiis & mercatura, quam navigio in flumine 22.
Rheno exercet.

Resium clara ex celebri & divite collegio, & oblectat se hæc urbs 23.
ex *Rheno* præterlabente.

Embrica ex collegio & Schola, quæ ibi hæctenus fuit celebris, est
famofa, & sentit commoda ex *Rheno* præterlabente.

Ex *Ducatu Geldriensi* & *Comitatu Sutphaniensi* ab hac parte *Rheni* 24.
sunt urbes & oppida: *elegans civitas Sutphania*, quæ ex variis rebus quæ- 25.
rit victum & affluit opibus.

Dosberga oppidum ex agricultura se sustentat.

Idem facit *Brunchorst* / oppidum adjacens *arci*: *Dottinkemia*, radi- 26.
cibus, herbaceis, quæ ex *Peterfillina* & aliis feminibus ortæ sunt,
abundat.

Borchlot oppidum adjacens *arci* ex amœno & pascuoso loco lu-
crum & amœnitatem habet.

Sevenerum oppidum agricultura, campis & graminibus abundat.

Lockchum oppidum dives est olerum & raparum.

Grolla abundat fufis.

Brevort oppidum adjacet *arci*, &c.

Ex *Comitatu Markano* urbes sunt: *Susatum*, civitas fere inter *West-* 27.
phalicas maxima, & *ditiſſima*: illa habet aliquot pagos sibi subditos, & est 28.
opimis agris optime dotata, habetque *divites homines*: coquit bonam ce-
revisiam, & hæctenus floruit maxime.

Hammo, vel ab *amne*, vel quia olim *Deus* erat *Gentium Hammo* 29.
dictus, unde etiam dici volunt *Hamborch* / &c. dicitur, *urbs amœniſſima* ex
amne vel *Lippia* præterlabente & ex variis *pascuis* atque *agricultura*
multum fructus habens, *Ejus encomium* cecinit ante annos 58. in *Eclogis*
Murmelius duplici carmine.

Unna (tho hæc dici volunt) ibi aliquando *Carolus IV. coronatus est*, 30.
& coquit hæc urbs præstantiſſimam *cerevisiam*, vicinis & *Colonien-*
sibus gratam.

Chamen oppidum, vel à *Chamavis*, vel à *Cæmævis* nomen habet,
agriculturamque exercet.

Assendia ex nobili Abbatia & Schola, quæ ibi aliquoties renovata est, claret, tum quoque suas habet oblectationes ex Rura flumine præterlabente:

Lünen ex Lippia præterlabente, nisi fallor, & agricultura, & quibusdam aliis subsidiis, se sustentat, fortasse à Luna dicitur.

Swerta à gladiis forte dicitur, ubi lebetes ferreas, *Wfannen* / & similia ferrea instrumenta parant.

Item *Zferlo* / *Altena* / *Lünschede* / *Niestat* / oppida ex filis ferreis & orichalceis, *Draden* / atque ex fodinis ferreis & fornacibus & mollis, quibus liquefit & præparatur ferrum, atque ex chalybe & loricis *Banßern* / victum quærunt. *Rhade*, oppidum eis adjacens, ex agricultura sibi prospicit. Ad *Lünschedensem Senatam* solent vicini interdum deferre sententias.

31. *Lippia urbs*, licet Comitibus de Lippia subsit, tamen ejus dimidia pars est olim Comitibus de Marka concessa, ut in totum nunc possideant illi hanc æquo jure cum Comitibus de Lippia: agricultura se sustentat & oblectationem ex Lippia flumine, unde nomen habet, capit hæc urbs.

32. *Brekerveldum* nomen habet, quod ibi difficulter scindatur terra aratro, ex elegantibus cultris, qui ibi parantur, quærunt victum.

Hörde oppidulum adjacet arci in vicinia Tremoniensis civitatis, ubi est *Præfectus & Quæstor* doctissimus & piissimus, vir nobilitate & virtute præstans, *Georgius Schelle*.

33. Ex traetu & ditone *Coloniensi* urbes oppidaque sunt hæc:

Dorstenium ex Lippia, (si non fallor) ibi mox in Rhenum currente, quæstus facit, & produxit aliquoties doctos viros, estq; elegans oppidum.

Recklinckhusen ex agricultura se sustentat, & ut nunc ad *Surlandiam* veniam: *Uldendorp* / *Vlettberg* / *Balve* / oppida habent agricolas.

Werli vel *Werlorum* oppidum egregium est in palustri loco situm, & ex sale quæstum facit.

Arnsberg / ex veteri Comitatu de *Arnsberg* / clarum est oppidum.

Afflennum est municipium; *Attendoria* oppidum ad *Bicham* flumen, ejus incolarum præcipua pars sunt operarii.

Belkenum, *Bilke* / oppidum ad *Monam* fluvium prope *Ruttenam* & *Wastenam*, in colle quodam ab altera parte situm.

Olpenium oppidum præterit *Bicha* flumen, & hoc habet aridos campos, ideo ferro sibi aliunde fruges acquirit; Simile huic est oppidum *Drotshagen*.

Bilfenium arx & huic, ut opinor, adjacet municipium.

Brilonia, *Brülen* / dicitur vetus & fere primum in istis regionibus oppidum esse: est situm in latis campis.

Smallenburg oppidum situm ad Lanam in colliculo, & hic quoque est fluvius *Wieda*, qui à salicibus ibidem magna copia abundantibus, nomen habet:

In vicinia est *Fredenburgum*, oppidum in profundo situm.

Hertzbergum, *der Hertzberg* / in monte & sylvestri loco, à *cervis arx* & munitio nomen habens, quia venationi aptus locus.

Hallenbergia oppidum ad Hassiæ fines.

Caldenhor oppidum à frigore nomen habens, sic quoque est oppidum ibidem in monte *Asenberg* dictum *Wintersberg* / quia ibi in media æstate nix reperitur.

Medebachium & *Volckmaria* oppida ad fines Comitatus *Waldechianensis*, ex agricultura vivunt.

Urbs Berga ibidem sita est, & ex ferrifodinis & molis se sustentat.

Mesebergia, sive *Eresbergia*, ubi fuit vetus idolon Saxonum *Irmenfue*, & propugnaculum eorundem fortissimum, ultra *Rutthenam* ad *Ruderam* vel *Ruram* flumen in monte ab altera parte situm.

Meschede municipium ad *Ruderam* habet cultos agros & collegium.

Ruttena, *Nüden* / oppidum cis *Monam* fluvium in vicinia *Paderbornensis* ditionis.

Wastena, *Wasten* / oppidum prope *Ruram*, habet hoc admiratione dignum, quod ibi reperiatur aqua æstate frigens & hyeme calens.

Tremonia civitas Imperialis, habet proprium Comitatum, & regi- 34. tur aristocratia: mediocres habet agros & multos fabros, atque propter vicinam *Surlandiam* facit quæstum ex ferro: Et claruit hæctenus ex *Schola*, quæ gubernante *Joanne Scavaste Doctore celebris* fuit, & fit ab aliis interdum civitatibus nostris appellatio ad illam.

Celebris Comitatus Waldechianus habet quoque suas urbes & oppida. 35.

Corbachium habet suas negotiationes & præcipue agriculturas splendidas: Est in vicinia nobilissima arx, eaque vetustissima & antiquis monumentis ornata *Isenbergum*, quam dici volunt ab *Iside dea*, quamque hodie obtinet Illustris doctissimus & piissimus Comes *Volradus*, Comes de *Waldech*, &c. Ubi reperiuntur *gratissima aurifodina*, & ajunt in amne præterlabente *Isenbeck* volvi *grana auri*.

Wildungen oppidum & arx plus negotiorum habet, & gratissimis agris circumseptum est.

Meinwinckhusium cepit ante paucos annos florere ex conficiendo panno & aliis officiis, præter id quod boni ibi sint agricolæ.

Waldechium oppidum nomen Comitatus dedit, mera agricultura se sustentat.

Landavium (in quo oppido arcem & sedes habet pius Comes & optimus Heros Joannes, Comes de Waldech) item *Radum*, & *Frietz hagen* tria oppida ex agris sibi vitæ necessaria parant.

Cassenhusen oppidum habuit olim non contemnendos negotiatores præter agriculturam egregiam, quam hodie etiam possidet, & nomen illius oppidi adhuc indicat, Saxones in Westphalia moratos, &c.

36. *Ex ditione Paderbornensi sunt urbes*: Ipsum *Paderbornum*, à *Pader* (indiderunt enim incognito flumini nomen à Padua Italico flumine, Caroli Magni milites, vel ut alii ajunt Longobardi, teste Gobelino) & *Born*/ quod significat fontem, urbs est, cui adjacent frugiferi agri & horti, qui proferunt vicinis *petrosillinam* & *brassicam cumanam*, aliaque olerum genera: Coquitur ibi cerevisia bona & vicinis grata. Amavit illum locum & sæpe frequentavit *Carolus Magnus*, atque sua præsentia honoravit *Henricus II.* Non dicam de Cathedrali & reliquis ibidem collegiis, quorum duo sunt.

Warburgum habuit olim Comitem, & illa civitas ex pinguibus agris bonam coquit cerevisiam saporosamque.

Brasel dicitur quoque habuisse Comitem, sed de eo nihil certi habeo: ajunt tamen illud oppidum & reliqua istius ditionis oppida *Nihemum*, *Steinchemum*, *Dringenbergium*, (ubi est nunc arx primaria) *Driburgum*, alias *Iburgum*, antiquum monumentum, *Peckelsenum*, *Borchrika* (quasi dives fontium) *Borcholdum*, *Lichtenowum*, *Kleinenbergum*, (à parvo colle) *Lipspringum* (ab initio & capite sive principio *Lippia*) *Soltkottum* (à sale nomen habens) *Luida* (oppidum in vicinia Comitatus Pirmontani, ubi est ille fons miraculosus, & habet multum juris Comes Pirmuntanus in istud oppidum &c.) *Büren* (quod à Baronibus de *Büren* nomen habet) agris bonis & optimis abundant simul. His adde oppida *Herstelle* & *Beverungum*, quæ præter id, quod bonos habent agros, adjacent *Vilurgo* & inde fructum & commodum habent.

37. *Borden*/ *Bredenborn*/ *Erwete* & *Patberg* municipia simili modo ex agris frugiferis victum quæerunt.

Hoxaria urbs ad *Weseram* sita subest *Abbati Corbiensi*, *Principi Imperii*, & præter utilitatem, quæ illi contingit ex flumine, habet secundos agros,

agros, producentes præter fruges, brassicam cumanam magna copia. *Fuerunt in antiqua illa Abbatia olim docti viri, Paschasius & alii, de quibus Tritenherius refert, & dicitur antiquis monumentis membranæ abundare.*

Comitatus Lippia sunt aliquot urbes præclaræ.

38.

De Lippia urbe diximus.

Lemgovium urbs, quam alii deducunt à Lemgow/ quasi die Lemmer: Dwo/ 39. ovium pascua; alii docent Gow significare in superiori lingua, pagum, Hinc à Rheno Rhingow/ à Rhetis Rhetigow/ ab Alamanis Alsmangow/ à Tigurinis Zürchergow/ &c. ita & Lemgow quasi em Lemich Gow dici, tanquam limosus pagus: Vulgò putant à claudis nomen habere, quod cum patrum seculis pugnassent contra hostes, essent graviter vulnerati gelähmet/ &c. inde Lemgenses quasi die verlähmten dictos; sed hoc fabulosum est. Alii putant à quadam familia nobili die Lemgeschen dictam urbem, &c. Est urbs clara ex Schola, & deinde novis ædificiis, aqua ductibus & munitione, atque celebrium & prudentium virorum numero ornatur; mercatura habet varias, paratur ibi bonus pannus: estque illi ornamento mola Papiracea & Typographia, &c. præterit urbem Biga fluvius, unde parum oblectationis habet. Agri ibi sunt & pascua bona.

Horna oppidum campos & agros jucundos habet, & ex vicina rupe 40. Picarum, antiquo monumento, cujus veteres scriptores mentionem fecerunt, claret; Legi aliquando, quod ex rupe illa picarum, idolo Gentilitio, fecerit Carolus magnus altare Deo sacratum & ornatum effigibus Apostolorum:

Blomberg, à floribus nomen habens & agris abundans, legitur in 41. veteri membrano oppidum fuisse sorte & insigne ante exustionem per Theodoricum Coloniensem Episcopum factam, &c. Swallenburgum, Barrentrupium, Alverdissum, Bosinckveldiumque, municipia sunt ex agris utcunque se sustentantia.

Solstiffelen/ oppidum in vicinia urbis Hervordientis, ex sale sibi quæstum facit.

Ditmoldia oppidum inde claret, quod in eo loco vicerit Saxones Carolus Magnus, & ibi nunc sedes habeant Comites de Lippia, &c.

Comitatus Ravensburgicus duas nunc habet urbes in Westphalia præcipuas, Hervordiam (quasi Hervort) cui olim fuit proprius Comes, ut in Antiqua Westphalia diximus, urbs munita, quæ ex tenui panno lineo conficiendo, texendo & purgando, dealbandoque quæstum facit, illum- 42. que

que defert ad remotissimas regiones incola, variasque mercaturas exercet: fuit ibi repurgata ab omni barbarie Schola ante annos 40. fere, cum adhuc Alanus & Alexander inepti grammatici docerentur & traderentur in Scholis Saxonis: abundat aqua fluminis duplicis *As* & *Werna*, &c. Sunt ejusdem nominis flumina in ditione Monasteriensis, sed tamen ab his diversa.

Bileveldia, quæ est altera pars istius Comitatus, sunt artificiosi fabri, & ex vicinis pagis ac Comitatu Retbergico, commercia cum Rusticis habet: *Hæc urbs*, & *Hervordia* atque *Lemgovium*, tres vicinæ civitates, solent *Erverfeldensibus mercatoribus & civibus fila suppeditare*, quæ deinde ab illis exornantur & dealbantur, atque postea transferuntur ad emporia Antwerpiana, Francofortiana, &c.

Bilefeldia habet ex *anne de Luther* aliquid jucunditatis, propter jucundum nomen.

43. *Retbergicus Comitatus* habet unum oppidum nomine *Retbergum*, ex pascuis se cum toto Comitatu sustentans.
44. Sic quoque *arce Gemma* adjacet oppidum ejusdem nominis, quod fere ita quoque se sustentat, &c.
45. *Mindensis urbs* (dicta per *Widekindum myn dyn*) *amœnissima & munitissima est*, ex navigio *Wiseræ* ejusque alluvione amœnitatem, pisces, & alia commoda sentiens, *coquit bonam cerevisiam*, vicinis multis gratam, variisque mercaturis abundat: non dicam de tribus collegiis, inter quos est cathedralis Ecclesia, *laudavit carmine hanc urbem Bernhardus Luderus*.
- Lubbekum* oppidum ditionis Mindensis habuit multos olim ex Nobilibus inhabitatores, & ex cepis sibi quæstum facit quotannis.
46. Adjacet ditioni Mindensi oppidum *Rinthelen* / *parens Schawenburgico Comiti*, quod ex *Vifurgi præterlabente* & aliis officiis agellisque victum quærit.
47. *Deipholdiensis Comitatus* habet oppida *Deipholde* / *Lowenforde* / item municipia *Zunt-Hulpe* (ubi vicit *Carolus* postremo Saxones & ideo erecto sacello indidit nomen loco, *Zunt Hulpe* / ab auxilio divino) *Dreber* / ubi fuit collegium, *Goldenstedde* / &c. Comitatus est palustris, inde *Deipholt* / *daß man da auf Ballen geht* / und das Holt dieß moß sofen im Morthe: Multa habent pecora, & ex mari vel stagno magno dicto de *Dummer* / omnia oppida & municipia cum pagis vitæ necessaria quærunt, deferentes pisces ad vicinas urbes incolæ.

Oldenburgicus Comitatus celebris, habet urbem fortem *Oldenburg* / 48.
 quæ mercaturis, navigio, & quibusdam aliis exercitiis abundat: non
 sunt ibi municipia, nisi illa huc referantur, quæ sunt ad arces sita, thor
Doelgünnen & *Nieborg* / &c. Tale municipium est prope arcem *Del-*
menhorst.

Osnaburgensis ditio habet urbes & oppida, Ipsam urbem *Osnabru-* 49.
gum, quæ est celebris civitas, multum sibi lucri ex *lineo* & *griseo panno*
 (dictis *Lowent und grau Laken*) facit: Habuit semper prudentissimos
 viros, inter quos fuit olim quasi lumen Westphaliæ *Ertwinus Ertman*,
 Consul, qui aliquot Episcoporum Westphalicorum nomine legatum
 egit ad *Concilium Basiliense*, ubi sua latinis verbis solerter expedivit: Sub
 paucis annis est *munita* admodum facta. Sic ait Munsterus: *Osnabru-*
gum liegt in das Engerland / in einem lustigen Daal / bey einem Wasser / die
Hasa genant / und hat viel Quæses &c. *Pinguem cerevisiam* coquit, quæ
 vocatur vulgo *Buse*: deinde in urbe & vicinia, tum etiam per Comita-
 tum *Tecklenburgicum* coquant *myrticam* cerevisiam *Grusinch*. In vi-
 cinia arbis, ad dimidium milliare prope *Rullam* Monasterium *Monia-*
lium, non procul à villa rustici de *Osteringe*, extant vestigia veteris ar-
 cis *Wedekindi*, dictæ adhuc *die Wiedesberg* / apud stagnum miracu-
 losum fundo & altitudine (ut ajunt) carens, *die Uferkuhlen* / à quo non
 procul est alius puteus ei similis, *der grundlose Kolk*. Scribit autem *Ro-*
levingius, quod *conversus Wedekindus*, & jam recepta sua arce, prope
Osnabrugum curaverit ædificari Ecclesiam nomine *Bethlehem*, in qua
 veluti *Christus* natus est in *Bethlehem*, ille voluit per baptissimum re-
 nasci, ideoque tale nomen Ecclesiæ indidisse *Wedekindum*: hanc ho-
 die contracte *Belheim* / pro *Bethlehem*, vocant, & de hac re hodie
 etiam extat cantio apud rusticos. Et quanquam *Krantius* neget in *Sa-*
xonia libro 2. cap. 13. & 14. hoc, docens in *Barderwico* *Widekindum* &
Albionem venisse ad *Carolum*, & ibidem initiatos esse, imo contra as-
 serat capite 23. quosdam esse, qui tradant, *Wedekindum* salutis initium
Minda suscepisse: *Annales* quoque cujusdam monachi *Benedictini* refe-
 rant, venisse utrumque ad *Carolum* in pagum nomine *Bardengaw* / &
 tandem datis obsidibus per *Amalwinum*, ad conspectum *Caroli*, venisse
 in *Attiniaco* villa, & ibi baptizatos esse: Imo *Krantius* in *Metropoli*
 libro 1. cap. 4. scribat, quod prope *Hasam* flumen magno pralio victus se tan-
 dem subdidit *Carolo*, & factus *Catechumenus* institutus sit in fide, & dein-
 de suscepit baptisma, &c. Has tamen scriptorum pugnas sic conciliat,
 L
 puto

puto ex Joannis de Effendia & *Hermani ac Henrici de Hervordia* scriptis (quos dicit se sequi) Rolevingius, quod quidem venerit cum Albione ad Carolum in *Barderwick* / ibique sit factus Catechumenus, sed postea in *Beelhem* / tunc dicto *Betlehem* / sit baptizatus, in cujus pagi templo egregium Baptisterium, tanquam ejus rei antiquum monumentum, extat adhuc hodie: *Osnaburga sunt duo celebra collegia, &c.*

Widenbrugum, urbs elegans habet collegium, illamque & *Rhedam* oppidum præterit Amasis, unde alluvia habet per campos, & ex *notho lino, Hannep* victum quærit, atque ex aliis officiis manuariis.

Quakenbrugum oppidum habet collegium, & se ex panno griseo, quæ etiam *Minda*, & in reliquis Osnaburgensis ditionis oppidis, *Mella, Iborga, Fastenau*, & alibi paratur, victum quærit. Sunt ibi accolæ *Halla*, & coquunt bonam cerevisiam, puto in *Quakenbrug*.

Borden oppidulum, forsan à *Foren* / quod ibi aurigæ, qui curricularis suis inferviunt mercatoribus, habitent, nomen habet, &c.

50. *In oppidulo adjacenti arci Tecklenburgica* & per totum Comitatum coquunt *mirticam cerevisiam*, & ille Comitatus profert materiam & herbam vicinis, unde potus talis conficitur, quæ est lupuli loco.

Rhedum oppidum adjacet forti castro Comitatis de *Tecklenborg* / & ex lino *notho*, quod dicimus *Hannep* / victum quærit.

51. *Lingum* oppidum, prope arcem *Lingen* munitam, situm est, ex mercatoribus, orientalibus, curribus hinc inde advectis fructum faciens.

52. *In Comitatu Benthemensi* sunt hæc oppidula; *Benthem / Northorem / Nidhus* / ex communibus officiis & agellis se sustentantia, deinde pagi ex ovibus & melle nonnihil subsidii habent: estque agri singularis fertilitas circa pagum *Nienterfen* ibidem.

In urbecula Scuttorp / quæ est ejus Comitatus primaria, vanni multi parantur, & mediocris coquitur cerevisia, nomen à *Lupulo* habens, *Hoppe*.

53. *Stenvordia* oppidum à Comitatu nomen habens, pascuis abundat & in eo est *domus Commendatoria Provincialis per Westphalam* Commendatoris, ut puto.

An adjaceat oppidum arcibus *Bevelaven* ignoro, oppidulum vero adjacet arci Domini de *Eulenberg Werda*.

54. Jam ad *Monasteriensem* ditionem venio, quæ pascuis campisque abundat, & in multis locis usque ad *Hammonem* urbem, quæ est Comitatus *Markici*, abundat lacte hæc regio, & saporosos caseos facit ex pingui lacte.

Urbs Monasterium, etſi eſſet deſtructa per Anabaptiſtas, mœnia lacerata, turresque mirum in modum ruptæ ictibus bombardicis, denique nihil eſſet ſanum in templis omnibus urbis, tamen in omnia ſunt nunc reſtaurata, ut *hodie ſit pulcherrima & munitiſſima ex reliquis urbibus Weſtphaliae*, quæ variis mercaturis, & opificiis & campis abundat: in qua floruerunt literæ & puritas Romanæ linguæ ante annos 60. cum per totam adhuc Germaniam, excepta Heidelbergæ Academia, & aliis quibusdam Scholis paucis, nihil aliud ſonarent ludimagiſtelli, quam horridam barbariem: Itaque magna copia tunc ad illam urbem confluxerunt Viri docti, qui per id tempus clari fuere, & ornamento loco & toti etiam Weſtphaliæ erant, de quibus dixi in oratione de viris Weſtphaliæ illuſtribus, qui latinam linguam Germaniæ reſtituere: In hac civitate coquunt cereviſiam, quam Batavicam dicimus, *Roith / ex tritico*, admodum ſimilem *Hamburgeniſi cereviſiæ*, eſtque bona &c. Sunt ibi quinque ampliſſima collegia, & *ejus urbis encomium deſcripſit Sapphyco verſu Murrælius*, ante annos 60. Hæc ditio habet multa elegantia oppida.

Kosveldum eſt civitas elegans & munita, quemadmodum & vicinae urbes *Boikholdum* & *Barkenium*, in quibus ſimul bonus pannus paratur, & partim ex equis, partim ex agris & campis quæſtum faciunt, His adde *Loen oppidum*: Ex his oppidum *Boiſtholt* admodum vetuſtum eſſe dicitur.

Dulmen oppidum antiquum eſt, quod Dux Saxoniae Luderus, qui factus eſt poſtea Imperator, (dictus Lotharius) expugnavit: (munitam urbem vocat *Gobelius*) ex lana & panno ſe ſuſtentat illa, habetque collegium, veluti & *Beſſem*.

Ulen (ab Anguilla forſan nomen habens) *Beſſem* (à torrente dicta) *Warendorpium* (quasi *war das Dorff* / ſed non bene ſibi aliquoties proſpexerunt) *Telgetum* (à *Telgen* arboribus) oppida ex paſcuſ & abundantia lactis, agrisque cum finitimis pagis ſibi procurant victum.

Guerdenum ex agricultura victum habet, & mediocrem coquit Cereviſiam, atque ex panno aliisque rebus, & amne præterlabente fructum aliquem facit: Ita etiam ex agellis, panno & aliis quærun vitæ neceſſaria oppidula *Horſtmar* / *Bevergerne* / *Uhus* (dictum à flumine *Aa*) *Kloppenberg* / *Schapen* / &c. quæ plerunque arcibus adjacent: Idem de municipiis *Mettelen* / *Wosbecke* / *Halteren* / *Scherenbecken* / &c. dici poterit.

Reina oppidum & *Meppen* accolæ Amaliſis habet, qui etiam navi-

gio in Phrisiam usque excurrentes sibi lucrum quærunt. In oppido Rhenen habet suas tunc sedes cordatissimus & vera pietate, doctrina, literis ac gravitate insignis *D. Wilhelmus*, ex veteri & nobili *Ketlerorum* familia natus, quondam Monasteriensis Episcopus, qui maluit pie privatim vivere, quam turbata conscientia Principatum gerere. Hunc honoris causa nomino.

Hafalunda in Emeslandia sita est ad Hafam, exonerantem se mox in Amasim, navigioque aliquid commodi facit, & mediocrem coquit cerevisiam, exteris ut audio gratam, &c.

Vechta forsan à *Sechten* (cujus rei potest peti exemplum ex *Kranii* historia Saxonica libro 10. capite 16.) dicitur.

In oppidulo *Wideshusen* est antiquum collegium, ubi posteri *Widewindi* sepulti sunt, & *Otto III.* aliquandiu sedit, &c.

55. Si plures sint vel urbes vel oppida Westphaliae, quæ ego ignoro, vel quorum nomina mihi incognita sunt, istorum omnium magistratum & incolæ oro, ut mihi hoc ignoscant, neque illam oblivionem malitia, sed ignorantia meæ ascribant.

Illas autem civitates & urbes, quas delineavi, hic quoque obrestor & ipsarum rectores, quod si non in omnibus proprietates, dona, naturam & gratiam singularum esse affecutus, mihi benigne hoc ignoscant & boni consulant, non enim omnia cognoscere potui; imò delineavi tantum has, alii plenius describant.

